

nam tenuit, ubi sedibus positus deo struxit aram, & hostias mactavit. Meminit autem patris nostri Abrahami Berosus quoque, non tamen eum nominans, his verbis. Post diluvium autem decima ætate apud Chaldaeos erat quidam justitiæ cultor, vir magnus, & caelestium rerum peritus. Hæc igitur mathematicum primæ periodus est apud Josephum, à Diodoro Siculo brevius notata lib. 2. In Babylonis medio, ait, Semiramis templum Jovi erexit, quem vocat Babylonii Belum, de quo cum & scriptores discordent; & opus ipsum vetustate collapsum sit, certi nihil pronuntiari potest: constat tamen miranda altitudine fuisse: & a Chaldæis in ipso observationes factas esse, accurate considerato & oriente & occidente propter operis altitudinem. Hic igitur Semiramis videatur templum Jovis nomine, mathematicis Chaldæis & mathematicis astrorum observationibus sacravisse: quo loco videatur Diodorus Babylonicam turrim sacris literis testatam attingere. Sed in eodem etiam libro Chaldæi dicuntur numerare annos, quibus illis observationibus vacaverunt usque ad Alexandri Ascensum, 473 000. quæ fabula refellitur à Callisthene missis ad Aristotelem Chaldæorum observationibus annorum 1903. Sed n. Chaldææ matheseos ut Abrahamus sacris, sic Berosus profanis literis artifex insignis perhibetur. E Chaldæa gente Beroso, ait Plinius, ob divinas prædictiones Athenienses publicè in gymnasio statuam inaurata lingua statuere. Sed mathematicum originem in una præsertim astrologia M. Tullius primo de divinatione perspicue palamque ab Assyriis repetit. Principio Assyrii, ut ab ultimis auctoritatem repetam, propter planitiem magnitudinemque regionum, quas incolebant, quum cælum ex omni parte patens atque apertum intuerentur, trajectiones motusque stellarum observarunt, quibus notatis, quid cuique significaretur, memoriæ prodiderunt. Quia in natione Chaldæi, non ex artis, sed ex gentis vocabulo nominati, diuturna observatione siderum, scientiam putantur effecisse, ut prædici posset quid cuique eventurum, & quo quisque fato natus esset. Quamobrem primus ortus mathematicum apud Chaldæos ejusmodi fuit, cum prima Plinii periodo congruens. Sed ortæ & florentes apud Chaldæos mathematicæ artes tandem ex Assyria in Ægyptum commigrarunt duce Abrahamo. Nam ut apud eundem Josephum est 9. cap. 1. lib. fame Chananæam invadente, Abrahamus audita Ægypti ubertate, proficisci illuc decrevit, tum ut copiis eorum frueretur, tum ut sententiam sacerdotum de divinitate cognosceret: aut secuturus illorum opinionem, si modò melior esset, aut ipse rectiora iis monstraturus. Itaque, ut est in eodem capite paulo post, rex Ægypti Pharaotes Abrahamo magna pecunia donato potestatem fecit congregandi cum præstantissimo quoque Ægyptiorum ac doctissimo: quo factum est ut ipsius virtus, virtutisque fama illustrior fieret. Nam cum Ægyptii diversis moribus agerentur, patriasque leges inter se contemnerent, proptereaque varie conflictarentur, cum quolibet ipsorum congregiens, eorumque opiniones refellens, quas de patriis rebus haberent, vanas, nihilque prorsus veritatis habere declaravit. Ob has igitur disputationes admirabilis factus est: cumque magnam tam intelligendi, quam eloquendi, docendique facultatem præ se ferret, arithmetica astronomiamque benignè illis communicavit. Nā ante Abrahami ad ipsos adventum Ægyptii rudes erant hujusmodi disci-